



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque  
Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput XVI. Refectio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](#)

faciendi satis desiderium ; Offero tibi hanc „  
mortificationem sive humiliationem ma- „  
gno cum dolore, te unquam quod offendere „  
tim, atque ingenti sancti odii & contemptus „  
meimetipius concipiendi desiderio. Da „  
mihi, te oro, animum ac vires, ut omnem re- „  
pugnantiam, verecundiam, metum a iios- „  
que depravatae naturae meae defectus, quos „  
in illa subeunda expugnare habeo, exupe- „  
rem, ut ea ratione divinae Majestati tue ac- „  
ceptum me constituam. Virgo Sacratissima, „  
tu mihi sis praesto protectione.

7424

*Piae Cogitationes atque aspirationes.*

Bonus Religiosus humiliatione lætatur „  
juxta id quod ait Jeremias Propheta :

*Dabit percutienti se maxillam, saturabitur Thren. 5.  
opprobriis.* 30.

*Improperium expectavit cor meum, & mi- Psal 67.  
seriam.* 21.

*Quoniam propter te ( Domine ) sustinui op- v. 8.  
probrium, operuit confusio faciem meam.*

*Exeamus ad eum ( Christum ) improperium Heb. 13.13  
eius portantes.*

*Ibant Apostoli gaudentes à conspectu conci- Act 5.41.  
lii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu  
consumeliam pati.*

## CAPUT XVI.

*Refectio.*

**R**efectorium sacrum repræsentat Cœna-  
culum, ubi superior vicem agit Domini  
nostrí Iesu, & Apostolorum cæteri Religiosi.

G g

Sancti

Sancti nisi coacte & inviti cibum non capiebant, sed caratione, qua pharmacum capiunt ægroti, aique idcirco dicebant: *Accede ad alimentum, tanquam medicamentum.* Ita Jobus aiebat: *Antequam comedam suspirio.*

*De gratia t. 2.*

„ *Directio;* Domine Deus, quoniam vox luntatis tuæ est, modò cibum ut adhibeam, „ eo duntaxat animo huc accessi, ut faciam satiis necessitati, non verò ut corpoream expleam voluptatem. Sanctifica actionem istam, eamque gratam habere dignare, in unione refectionum, quas alias Dominus noster Christus Jesus cum Sacratissima Virgine ac Sancto Josepho, sive cum suis sumebat Apostolis. Gratiæ mihi concede, ut modestiâ hic utar ac temperantiâ. Animum meum erige supra gustum & oblectamentum ciborum, fac ut anima mea Divinam tuam persentiscat præsentiam: ut animam æquè ac corpus ita reficiam, ut deinceps majori tibi serviam cum alacritate. Virgo Sacratissima, Mater amantissima ac singularis patrona, tuo sub nomine, & quoniam specialiter consecratus sumus tibi, eleemosynæ, quibus nutriamur, nobis erogantur. Tuus ergo panis est, quo jam nunc, velut tuus filius familiæ, vescar. Noli ergo permettere, ut voluptatis aut divinæ offensionis mihi sit occasio.

Spiritus istius actionis erit. 1. Ut magna cum attentione cantemus preces, quibus mensæ benedicitur. 2. Ut abstracte, absque voluntaria ad voluptatem vel etiam cibarium discretionem reflexione comedamus.

3. Ut

3. Ut illa cum gratiarum actione, quantum satis erit necessitati, & non ultra illam, sumamus, dicentes cum illo Seniore: *Non vivo ut edam, sededo ut vivam*: permodici temporis experientia nos docabit, quid cuique sit necessarium. 4. Ut devote & cum animi applicatione, non verò ex solo usu gratias Deo agamus.

*Interioris occupationis preter lectionem Materia.*

*Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.* *Luc. 14.*

*Meus cibus est, ut faciam voluntatem patris mei, qui in caelis est.* *Ioan. 4.34.*

*Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.* *Psal. 79.6.*

Quod si alimenta gustui arrideant, ibi sisti non debet, quin potius dici poterit: *Non est re gnum Dei esca & potus, sed iustitia, & pax &c.* *17. gaudium in Spiritu Sancto.*

Si verò econtrariò illa desipiant, cogitandum erit de felle porrecto Domino nostro, dicendo intra se: *Dederunt in escam meam fel,* *Psal. 68.6.*  
*& insiti mea potaverunt me aceto.* *22.*

C A P U T X V I I .

*Recreatio.*

**H**ora recreationis non modò ordinata fuit, ut animus nonnihil relaxaretur, ut inde æquali cum fervore continuetur ordinis ac Religionis custodia: verùm etiam ut hac ratione mutuae conversationis suavitate serve-

G g 2      tunc